

J. Wang, version latine pré-agrégatifs, 2024-2025
À rendre pour le mardi 15 octobre 2024 (casier au DSA)

Version latine n°2 : Médée et le dragon

Longueur LM : texte entre crochets droits. Longueur LC : intégralité.

Iamque manus Colchis lumenque intenderat astris
carmina barbarico fundens pede, teque ciebat,
Somne pater : « Somne omnipotens, te Colchis ab omni
orbe uoco inque unum iubeo nunc ire draconem,
quae freta saepe tuo domui, quae nubila cornu
fulminaque et toto quicquid micat aethere, sed nunc,
nunc age maior ades fratrique simillime Leto.
Te quoque, Phrixiae pecudis fidissime custos,
tempus ab hac oculos tandem deflectere cura.
Quem metuis me stante dolum ? Seruabo parumper
ipsa nemus ; longum interea tu pone laborem. »
Ille haud Aeolio discedere fessus ab auro
nec dare permissae, quamuis iuuat, ora quieti
sustinet, ac primi percussus nube soporis
horruit et dulces excussit ab arbore somnos.
[Contra Tartareis Colchis spumare uenenis
cunctaque Lethaei quassare silentia rami
perstat et aduerso luctantia lumina cantu
obruit atque omnem linguaque manuque fatigat
uim Stygiam, ardentes donec sopor occupet iras.
Iamque altae cecidere iubae nutatque coactum
iam caput itque ingens extra sua uellera ceruix,
ceu refluens Padus aut septem proiectus in amnes
Nilus et Hesperium ueniens Alpheos in orbem.
Ipsa caput cari postquam Medea draconis
uidit humi, fuis circum proiecta lacertis
seque suumque simul fleuit crudelis alumnum :
« Non ego te sera talem sub nocte uidebam
sacra ferens epulasque tibi nec talis hianti
mella dabam ac nostris nutribam fida uenenis.
Quam grauida nunc mole iaces, quam segnis inertem
flatus habet ! Nec te saltem, miserande, peremi,
heu saeuum passure diem ! Iam nulla uidebis
uellera, nulla tua fulgentia dona sub umbra.
Cede adeo inque aliis senium nunc egere lucis
immemor, oro, mei nec me tua sibila toto
exagitent infesta mari. Sed tu quoque cunctas,
Aesonide, dimitte moras atque effuge raptis
uelleribus. Patrios exstingi noxia tauros,
terrigenas in fata dedi : fusum ecce draconis
corpus habes. Iamque omne nefas, iam, spero, peregi. »]

Valerius Flaccus